

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Theologiæ Mysticæ, Seu Facilem & practicum modum  
Exercitia Spiritualia S.P. Ignatii Loyolae per octiduum faciendi - item  
triduanam recollectionem fructosè instituendi complectens, Et  
Sacerdotibus Præcipuè, aut de Sacerdotali Statu suscipiendo  
deliberantibus accomodata, Una cum ...

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1680**

Membrum II. De Ministro.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48834](#)

40 *De Natura Exercitorum.*

secundūm Institutūm. Ecclesiasticis Sacerdotib[us] produc[t]ur prima hebdomas in tertium & quartum diem: detur opera, ut bene cognoscant difficultatem sui Statūs, cūm teneat[ur] se à Mundo avocare, utpote divino Ministerio deputati discant bene proventus Ecclesiasticos disponere, & Zelum animarum concipient. Laici nobiliores erudiantur, ut Justitiam bene administrent; ut avaritiam & Superbiā fugiant: ut misericordes ac DEI timentes sint: ut Liberos b[ea]titudine[bus] educent: ut pacifici, & in participatione Sacramentorum frequentes sint; si in re quapiam gravi h[ab]ercent, regulæ electionum adhibeantur. Rudioribus Laicis sufficiet prima hebdomas: expositio mandatorum DEI atque Ecclesiae, peccata mortalia, quinque sensus, & opera misericordiæ: ut Sacra menta frequentent; bene regant Familiam; facultatibus justè & sobriè fruantur. Muleribus fermè eadem tradenda quæ rudibus; nec facilè adeantur earum domus, sed ipsæ potius accedant Ecclesiam pro accipiendo Exercitijs.

VIII. Tertium officium est *Conversatio fructuosa* cum Exercitante, ad quam pertinet, ut cum quotidie semel salteo (nisi necessitas aliud exigat, aut utilitas suadeat) opportunitate tempore visitet: ut rationem Meditationis & internarum motionum, puta Consolationum vel desolationum sollicitum exigat: in desolationibus & ariditatibus animet, & viatum ad faciliorē in Meditatione discursum aperiat. tum re media pro ariditate tollenda & devotione recuperanda prudenter ostendat: in consolationibus non diu ipsum detinet sed breviter modum ex ijs proficiendi edoceat, & de reliquo Creatorem cum sua Creatura, & hanc vicissim cum illo plibitu agere sinat: ut electionis, si ea facienda sit, aptum modum suggerat, & in dubijs opportuna consilia subministrat: ut pro Curatione vitiorum efficacia media prescribat salutaria ad vitam vocationi & Statui suscep[er]to & suscipiendo conformem instituendam precepta offerat.

M E M B R U M II.

*De Ministro.*

I. Ad hunc tria requirit Directorum c. 4. n. 3. & sequentibus. 1. Ut sit fidelis, discretus, taciturnus, qui que suam mode-

modestia, & humilitatis ac devotionis exemplo ædificet. Nihil autem loquatur, nisi de ijs, quæ ministerium pertinent, idque paucissimis verbis. Aliquando profuit huic Ministerio illum deputare, qui notus ac familiaris fuit Exercitanti; hoc enim juvat non solum ad consolationem, sed etiam ad profectionem Spiritualiem, quoniam aliqui interdum confidentius se aperiunt Amicis hujusmodi, quam ipsi Instrumentori, si cum nunquam antea norant.

II. Secundò requirit, ut sit Instrumentum Directoris, eumque de omnibus, quæ circa Exercitantem aguntur, & ipsum Directorem nosse debere prudenter judicaverit, certiore faciat.

III. Tertiò requirit, ut ipsi Exercitanti inserviat, componendo lectum, cubiculum verrendo (quæ duo ferè tempore Missæ exequetur) victum, aliisque, quæ opus erit, munida & apta offerendo, magnamque semper charitatem, & diligentiam præferendo; atque inter alia meminerit, etiam pro ipso quotidie orare.

### M E M B R U M III.

#### *De Collocutoribus.*

Ad hos duo requirit citatum Directorium c. 6. n. 3. Primo, ut sint maturi & discreti, qui Exercitantei tam exemplo, quam sermone ædificare, & honesto utilique colloquio recreare in Domino queant. 2. Ut nullum cum Exercitante nisi utilem, & quidem de Spiritualibus rebus sermonem instituant, nullâ tamen significatione, quod cum ad hunc vel illum Statum impellere velint. Nam præterquam quod vocatio debeat esse libera, & à DEO venire, ipsi etiam, qui in hac deliberatione versantur, si id intelligent, vel suspicentur, eò magis retrahi solent, & contrà, ut experientia saepè ostendit, eò magis incitari, cùm in Directore, Collocutoribusque nullam cupiditatem talem animadvertiscant.

### M E M B R U M IV.

#### *De Loco.*

Etiam hic, cùm aliquo modo serviat ad Exercitia melius facienda, inter causas Instrumentales latiori in sensu numerari